



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

S. Norbertus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria.*

Simus Cultores quatuordecim SS. Auxiliatorum, quos inter eminent S. Erasmus, certumque nobis intrâ hebdomadem constituamus diem, quem illorum honori ex toto consecremus cum *Lyta- nis de omnibus Sanctis*. Additò uno, vel actu alterò mortificationis vel in sensibus, vel voluntate propriâ. Quis faciet hoc? Et laudabimus eum. Dabit Deus occasionem! Nos promptam voluntatem.

Festum SS. Norberti Episcopi,  
& S. Ordinis Præmonstratensis Fundatoris Gloriosissimi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uid hoc? O dilecte! S. Norbertus aulam deserit Imperatoris, vestem induit laceram, & miræ austeritatis aggreditur vitam. An non hoc est ludere mundo? Lusit & hic fat nobis: Fugiamus cum S. Norberto. Qui humana deserit, recipiet cœlestia.

*Instructio meritoria.*

Ut crescat ad insigne Ecclesiæ decus

can.

candidissima S. Norberti familia, Deum supplicemus, & pro Illius institutione gratias agamus privatim intonando *Te Deum Laudamus*. Honoremus primos Parentes, ut simus longævi super terram

## II.

**S** Norbertus in Episcopum electus solebat dicere : *Fui in solitudine, & in indignitatibus ; sed jugum Domini carioris quibusque antepono*. Chare ! & nos jugum Christi ita vilipendimus ? Non contemneremus, si cum S. Norberto plus Deum, quàm terram æstimaremus. Tantus est amor, quanta æstimatio.

*Instructio meritoria.*

Contemptus sæculi. O quàm necessarius ! Ut eò pertingamus, aliquid de contemptu legamus, & legendò meditemur : Neque sæculi negotiis nos curiosius intricemus. Memores, quod Christus suis discipulis : *Quærite primum Regnum Dei*. Addamus & Platimum : *Quàm dilecta tabernacula Domine Deus virtutum*. Terram pedibus calcamus : & ut patriam amamus ? Quid hoc ?

III.

**S.** Norbertus quadraginta diebus se  
præparat ad primum Sacrum ce-  
lebrandum. O quæ nostrum confusio!  
Qui tam viliter de hoc Divino sentimus  
sacrificio. *Accedite cum fide*, clamat S.  
Augustinus, *accedite & cum tremore ac  
dilectione*. Hæcne in nobis?

*Instructio meritoria.*

Compensemus, & hodierno sacro  
erectis manibus, & summâ corporis de-  
centiâ assistamus, neminem aspiciendô,  
neque spiritualem Communionem in-  
termittendô. Oratio nostra sit devota  
recitatio *Officii de SS. Altaris Sacramen-  
to*; vel *S. Rosarii* sub mysteriis gaudio-  
sis. Quemadmodum desiderat cervus  
ad fontes aquarum.

Festum Thaumaturgi potentis-  
simi S. Antonii de Padua.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Magnum Antonii zelum! Profite-  
tur S. Francisci Ordinem, ut Sara-  
cenos adiret, & ad martyrum palmas  
per Evangelii prædicationem deveniret.

Ar-